

III.

NEOVIDENSIS

Nro 59. (Neovidensis Nro 82.)

Theseus Minotauro in Labyrintho, duce Ariadna occiso, ad rapiendam Proserpinam inferos adiit, sed captus a Plutone vinculis est mancipatus, ex quibus eum Hercules liberavit; Inde redux sequens attulit colloquium politicum:

Elysium -- Meum. -- Die Martis 23. Oct. 1804. (Neov. 9. Oct.)

Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum & salis haberet & fellis, nec candoris minus.

Plin. Epist.

Dialogus

Rodericii cum Dumeicio.

Dumeicius.

Amice Roderici! a primo meo in campos elysios ingressu solicite in te inquiri, & nunc demum reperio.

Rodericius. Salvum te esse cupio Amice Dumeici! Adventus tuus jucundissimos tecum transactos dies mihi in memoriam revocat. Heus ubi sunt meæ Ephemerides Colonienses, illa Peruvia nostræ ætatis?

Dumeicius. Cum reliquis institutis voragine revolutionis absorptæ sunt.

Rodericius. Amice! ingredi mecum in hoc conclave scriptorium. Tentemus in campis elysiis edere commentarium rerum novarum.

Dumetius. Quo pacto rem aggrediemur?

Rodericus. Audaces fortuna juvat. En nova Germanica; nota, si quid memoratu dignum legeris.

Dumetius. Pace mea evolvamur; (*legunt ambo*) Castra, & lustrationes militum non est operæ pretium amplius commemorare.

Rodericus. Hic in novo germanico mercurio occurrit singularis articulus.

Dumetius. Convertatur in rem nostram, aliquin politicæ narrationes valde sunt steriles.

Rodericus. Sede, scribe: Magnus Rex, surrogatus Imperatoris titulus.

Dumetius. Nullusne apponitur locus, nullane dies?

Rodericus. Utrumque, Germania 3. Oct. Quod sequitur, est compendium novi Germaniæ mercurii:

Quæ potest esse causa, quod in statibus Europæis nondum habeamus Magnos Reges? vel potius cur non existit in vasto Europæorum Imperantium catalogo titulus Magni Regis? Ejus enim inventio facilis est, cum præsertim notæ sint magni Ducis, & magni Principis denominationes.

Sed etiam antiquitas clarissimam hac in re nobis prætulit facem, ante enim, quam nomen familiæ Cæsaris ad denotandam supremam imperii dignitatem fuisset adhibitum, vivebat sub magnis Regibus (seu secundum nostrum concipiendi modum Cæsaribus). Græci Regem Persarum compellaverunt: *ἡ βασιλεύς* (Magnum Regem) quod ejus regnum reliqua ejus

tempor
aliquot
magnit
moris
pem, e
ditione

Su
tales e
Maced
mentu
litates,
der ma
exemp
us ea e
Græci
ges (A
Ejus c
ad ext
que ab
tione p
at hoc
ribus t
consu
design
ro fui
nonni
tius et
omner
saltem
enim
jus se
geni r
Nil ab

temporis, quæ subinde in extensione sua vix aliquot quadrata milliaria compledebantur, & magnitudine, & potentia superarit. Tunc enim moris erat, quemlibet independentem Principem, etiamsi unam tantum urbem, aut exiguam ditionem gubernaverit, Regem nominare.

Suos itaque habuit antiquitas Imperatores, tales erant Magni Reges Persiæ, & Alexander Macedoniæ Dominus. Huic postremo cognomen Magni non adhæsit ob personales qualitates, imo nec audit talis, sed tantum Alexander magnus Rex. Hoc ipse sibi indidit nomen ad exemplum Persicorum Monarcharum, vel potius ea ex consideratione, ex qua ejus populares, Græci, præpotentes Persiæ Reges, Magnos Reges (*in nostro sensu Imperatores*) nominarunt. Ejus quidem vanitas nullos novit limites, nam ad extremum pro Deo se venditabat, divinosque affectabat honores. E tali quidem jactatione potuisset sibi cognomen Magni assumere, at hoc fecit nunquam, sed nec a suis popularibus fuit alio nomine insignitus, quam illo consueto summam Imperantium dignitatem designante titulo: *ὁ μέγας βασιλεύς*. Minime vero fuisset consultum tali cognomento, quod nonnisi posteritas tribuere potest, se insolentius efferre, dum Diogenem Philosophum, qui omnem humanam dignitatem spernebat, aut saltem se spernere simulabat, accessit, quid enim ex eo audivisset, quam conformem ejus sententiæ declarationem. Dum igitur Diogeni reposuit: Sum Alexander, Magnus Rex; Nil aliud dictum voluit, quam proprium sibi

nomen proferre, & competentem sibi Regnantium titulum Magni Regis asserere.

Dumicinus. Hic profecto articulus amplissimam præbet materiam iis, qui speculativæ intenti sunt politiæ. Jam aliquid ex rebus inter Ministros actis: In Ephemeridibus Bambergensibus lego Notam, quam 21. Julii Russicus negotiorum gestor Oubrilius Parisiis Gallico Ministro tradidit. In hac Russia postulat, ut Gallia aliorum Europæ Statuum independentiam observet, ex Regno Neapolitano, & Hannoverano Electoratu suas copias educat, Regem Sardiniaë indemnem præstet, &c.

Rodericus. Prosequere eundem articulum: Cum ad postulatum mense Julio factum nullum fuerit datum responsum, idem Russicus negotiorum gestor 28. Aug. paucis ante diebus, quam Parisiis discederet, Gallico Ministro novam, & ultimam porrexit declarationem, in qua aperte significatur Imperatorem Russiae ab hoc momento omnem ulteriorem communicationem cum Gallia pro abrupta habere atque ab ejus arbitrio dependere, an bellum gerendum sit, vel secus. Interim Parisini rerum novarum scriptores pleni sunt sequentibus 22. Sept. Londino allatis rumoribus, quos se per Hollandiam accepisse dicunt: Ultimus Petropoli Londinum adveniens nuntius pessima attulit nova, de quibus licet in nonnullis tantum Ministrorum circulis fiat mentio, attamen perfererunt repagula mysterii. Videntur conatus Angliæ in continente procurandi fœdera in irritum cecidisse. Prussiae, quæ inter Galli-

am, & Russiam interjacet, fixum est neutras bellantium partes sequi. In quo ergo loco confligent hæ potentia? Cæterum Legatus Russicus perpetua habet colloquia cum negotiorum externorum Ministro Harrovbio.

Dumeicius. Insignis articulus; quamvis in unilaterali tantum respectu. At lege sis istum Bruxellensem notatu dignum paragraphum de 4. Oct. Status Consilii Auditor Aubergius 1. hujus Berolino reversus est Bruxellas: Hunc suam legionem optimo cum successu terminasse, sequentia docent: 1) Fuit Berolini benigne acceptus, & multis donis cumulatus. 2) Imperator Gallorum eo est plene contentus, suum enim nominavit cubicularium. Ex his omnibus manifestum fit, inter Prussiam, & Galliam intimam intercedere amicitiam, quæ sua neutralitate in eo enititur, ne continens bello implicetur.

Rodericius. Amice Dumeici! agnosco, nondum effluxisse ex animo tuo artem compilandi ephemerides. Accipe novam materiem scribendi ex Hollandicis scriptis Londino de 29. Septembris: Anglicum Parlamentum prorogatum est usque ad 27. Novembris. Status Secretarius Harrovby delectis ex coetu mercatorum palamfecit, tractari modo cum Hispania de gravioris momenti negotiis, quorum tamen singula puncta nequeunt adhuc manifestari, valdeque esse incertum, quem sit tractatio argumenti exitum habitura.

Dumeicius. Hic in Hamburgensi Nuntio deprehendo fusam descriptionem, quomodo Rus-

sicæ copię in Grusinia, seu Georgia commo-
rantes victoriam retulerint de Persis ad urbem
Erivanum. Jacet hæc in Asia, estque metro-
polis Persicæ Armeniæ. Eha Sefi, Rex Persa-
rum eam Turcis A. 1735 eripuit. Provincia
tenet quadragesimum latitudinis gradum, om-
nium in orbe terrarum facile fertilissima, ab-
undat vino, & oleribus. Armenii perhibent
Noemum hoc loco primas consevisse vineas.
Reges Persiæ solent Erivani Gubernatorem
constituere, qui ita dives, & felix est, ut quæ-
dam Persica mulier, Regi pro collato bene-
ficio gratias agens, precata eidem sit, ut
dignitatem Kani, hoc est gubernatoris Eriva-
nensis consequeretur. Hanc Provinciam Russi
suxæ potestati subjecerunt, Gubernatorem acie
fuderunt, suntque in possessione voti, quod
olim Persica mulier depromsit.

Rodericius. Multum in hac novitate est
momenti. Hinc patet Russos brevi victori-
bus suis armis vastas maris Caspii oras inde
ab ostio Volgæ usque ad fluvios Aras, &
Kur occupaturos. Quanta potentia!

Damecius. Reliquæ novitates, quas lego,
nullius sunt considerationis. Ut Gallici Princi-
pes in Suecia, in arce Calmariensi ideo tan-
tum conveniant, ut se invicem aspiciant, mi-
hi non persuadeo. Illi quidem ibidem con-
gregabuntur, se mutuo salutabunt; at, qui
hæc faciendi facultatem impertiti sunt, certe
cognita habebunt eorum consilia, & quan-
tum conjicere licet, etiam suppetias ferent.
Sine consensu Imperantium, apud quos de-

gunt, & a quibus sustentantur, non fuisset iis integrum tam solennem celebrare conventum. Latet aliquid in re, quod paulo post detegetur.

Rodericius. Finem tandem imponamus operi. Morare tantisper! Nullusne alicubi est vehementior ventus exortus? hic potuisset nobis varios afflare rumores de damnis, quæ plerumque non levia solent tempore æquinoctii evenire.

Dumeicius. Nulla littera seu de procella, seu de vento. Ergo concludatur folium. Submittam illud meo amico, qui ita eleganter concinnat colloquia vita functorum.

Rodericius. Quod mandas, curatum dabo. Repleantur omnes paginæ.

Dumeicius. Proxime nostram confabulationem in longius potrahemus.

B i o g r a p h i æ.

Rodericius, Malmediensis, susceptus erat in Ordinem Jesuitarum, quem tamen paulo post deseruit. Nullum habens patrimonium, arripuit quamlibet occasionem vitam tolerandi. Venit Coloniam, ubi tunc temporis Gallicæ Ephemerides edebantur, sed ita male consarcinatæ, ut ad earum emendationem obtulerit suam operam. Accidit hoc circa annum 1746. Hic didicit artem componendi commentarios rerum novarum, qua instructus novos in lucem publicam dedit de suo ingenio, qui ita placuerunt, ut intra breve tempus sepulti fuerint antiqui; quo viso proprietarii eorundem coacti sunt illi suum Privi-

legium facili sub-conditione cedere. Tunc publici juris factæ sunt illæ celebres Epherides (*Gazete de Cologne*), quæ non in Europa modo, sed etiam in aliis mundi partibus cum voluptate legebantur. Sub id fere tempus sic dictæ *Cavenæ* multiplicatæ sunt in omnibus urbibus, quarum nulla sufficientibus se præditam qualitatibus judicavit, nisi habuisset nova Coloniensia. Tempore belli septennalis numeravit 25,000, dico viginti quinque millia prænumerantium. Amico utebatur Dumeicio Malmediensi, qui ejus fidelem, & diligentem egit Redactorem. Magnificabat ab omnibus Imperantibus, cumprimis a Friderico unico Prussiæ Rege, qui eum etiam inviserat, & a Carolo Principe Lotharingiæ.

Buccina fuit politica totius Europæ, imo orbis universi. Præter hæc scriptos mittebat nuntios, qui illi 30 millia florenorum intulerunt. Magno erat animo, & liberali, hospitalis erga omnes advenas, atque verus benefactor egentium; grandiozem nactus ætatem obiit, & notabile reliquit patrimonium.

Dumeicius, Malmediensis, non mediocrem fecit in litteris profectum, tandem se in amicitiam Rodericii insinuavit, a quo in societatem laborum assumptus est; Dein Bonnæ fuit a secretis Legati Anglici. Post multos irritos conatus evadendi tandem addixit se Clero, factus Canonicus Francofurti ad Moenum, Præpositus Erfurti, & dirigebat Nuncios Apostolicos pro coronatione, vel ad circulum Rhenanum inferiorem ablegatos. Vir erat jucundi, & excitati genii, quem, qui novit, æstimavit. Multos annos transegit Francofurti; applicuit se deinde Chymicæ, Reformationum erat amantissimus; potissimum tamen *Magnetismo* occupabatur. Societatem ejus quisque ambiebat ita enim sale suo, & lepore, ac politissimis facetiis scivit præsentem erigere, quin ullum offenderet, ut amici oblivisci ejus hætenus non possint. In fine vitæ diuturna infirmitas eum obruit, curavit se Moguntiam deferendum, ubi ante annos circiter 2 vel 4, firmissimam in religionis principis animam ellavit.

N E

Secret

Sempit
suor

Elysium

Red

tempo

Pessim

me de

risu e

raibar

Histor

A

unive

que a

versæ

quas

natur

Ex q

tur,

bus r